Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 461
Quelle:
Copyright:

Petit opem Imperatoris (nempe *Wenceslai*)

Quid facis o ceſar, tu cum ſis nauta ſecundus
Quin manus apponis nauicule pereunti —
Eſt aquile grandis vbi nunc viſus peracutus &c.

Vertit ſe etiam ad Regem Franciae (*Carolum* VI.) Inter alia:

Non nigram fugiant aquilam que regnat in auro
Lilia celeſti que ſtant aurata colore &c.

Ad calcem legitur: *Explicit Inuectiua contra Monſtrum Babylonis Magiſtri de Haſſia, qui erat Doctiſſimus Hominum Studij Wiennenſis Auſtrie*, et poſt 5. folia vacua hoc Diſtichon:

Annis bis mille poſt partum uirginis alme
Tunc antichriſtus naſcetur crimine plenus.

VI. *fol.* 110. *Epiſtola Magiſtri Heinrici de Haſſia de futuris periculis eccleſie. ex dictis ſancte Hildegardis.* Inſcribitur: *Reuerendo in chriſto patri Domino. E.* (Eccardo) *Epiſcopo Wormacien. H. de Haſſia cum Monachis Erbacen.* (ſeu Everbacenſis, ubi Gebeno Promulgator Pentachroni Hildegardis Prior fuerat) *cenobij degens inter quercus et fagos futurorum conſideratione incautari* (ſecurum reddi) *quoniam vere dies mali ſunt.* Initium: *Multifariam multisque modis olim Deus locutus eſt* &c. Epiſtola maximam partem conſtat locis ex *Hildegardis* Epiſtolis ad Clerum *Trevirenſem* et *Colonienſem* carptis. Meminit ejus *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VIII. p. 218. Exemplo noſtro ad oram infer. haec accubat Nota: *quod prefatus magiſter Henricus hanc epiſtolam ſcripſit et deſtinauit circa annos domini. M. CCC. LXXXIII. quando receſſit a ſtudio pariſienſi propter magnum ſciſma eccleſie quod tunc cepit inter papas.* Sed pace Notarii Schiſma jam exeunte a. 1378. cepit, et *Henricus* jam a. 1379. uti dictum ſuperius, *Viennam* advocatus fuit. Itaque Epiſtolam alterutro horum annorum ſcriptam arbitror.

VII. *fol.* 130. *Incipit liber pſalmorum ſeu ymnorum ſoliloquiorum dauid prophete de chriſto.* Pſalmorum tantum indicantur Initia, plurimis tamen praefixa ſunt Argumenta, et ſingulis ſubjectae *Collectae* ſive *Orationes*, quas editas habes in Opp. *Georg. Caſſandri Pariſ.* 1616. p. 423. f. Ultimi tres Pſalmi in Exemplo noſtro deficiunt. Vide et *Cod.* DCCCL.

VIII. *fol.* 164. *Incipit laurea ſanctorum.* Eſt Calendarium Metricum, ad quod rhythmis introducimur, quorum initium:

Cum